

24. In Sacrificio Missæ non est adhibenda Palla à parte superiori drappo serico cooperta. — *Jan. 1701.*

25. Lectiones primi Nocturni de Exodo; quæ leguntur in Dominicâ IV. Quadragesimæ, quoties ita sit impedita aliquo Festo primæ Classis, reassumendæ sunt intra illam Hebdomadam in Festo occurrente lectionibus propriis primi Nocturni quæ desumerentur de Scripturâ occurrente, si Festum illud extra Quadragesimam incidisset. — *26 Novembris 1731.*

26. In Dominicâ in Albis potest legi nona Lectio de simplici Festo occurrente, ut accidit anno 1735, de Sancto Aniceto. — *5 Maii 1736.*

27. Quando in primis Vesperis S. Hermenegildi Martyris, Hymnus proprius non fuerit recitatus, ponendus est in Matutino, & Hymnus Matutini substituendus est in Laudibus. — *5 Maii 1736.* — Habemus similem ritum in officio S. Martinæ die 30 Januarii, in quo, si, ad primas Vesperas recitatus non fuerit hymnus proprius, hic conjungitur & fit unus cum hymno Matutini.

28. Ab orationibus expungenda sunt cognomina & patriæ Sanctorum. — *23 Junii 1736.*

29. Dùm Missa cantatur coram SS. Sacramento in Altari exposito, debet fieri commemoratio de eodem SS. Sacramento post omnes alias commemorationes de præcepto, & in Missis solemnibus tantùm Festorum primæ & secundæ Classis est facienda sub unica conclusione. — *23 Junii 1736.*

30. Quando dies octava Nativitatis B. Mariæ incidit in Dominicâ, in quâ celebrari debet festum SS. Nominis ejusdem, nulla fit commemoratio Nativitatis. — *23 Junii 1736.*

31. Quando occurrit Vigilia aut FERIA Quatuor Temporum infra Octav. Conceptionis B. M. V. debet recitari Officium de die infra Octavam. Missæ autem, sive cantentur, sive legantur, sint de FERIA Quatuor Temporum cum secundâ Oratione de Octavâ & tertiâ de Spiritu Sancto; quæ semper dicitur infra Octavas B. M. V. juxta Titul. 9. de Orationibus n. 7 & 9. nam Oratio, quæ ibi præscribitur dicenda secundo loco, ponitur tertio loco. — *23 Junii 1736.*

32. Privata Officii defunctorum recitatio pro generali illorum commemoratione absolvi licite potest post vespertinas horas Festi omnium Sanctorum; in Choro autem adimplenda est mane die secundâ Novembris: nisi ut populi commodiùs & frequentius illis interesse possint, contra-ria jam faceret consuetudo. *4 Sept. 1745.*

33. In die obitus vel depositionis alicujus defuncti Sacerdotis, dici poterit vel Missa prima, quæ est pro Episcopis assignata, ut in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, vel ea quæ est secundo loco posita, quæ est in die obitus, seu depositionis, dummodò oratio pro eo designata: *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, &c.* omnino adhibeatur. Similiter agendum erit in anniversario pro Sacerdote defuncto. — *29 Januarii 1752.*

34. Missæ privatz de *Requiem* etiam corpore præsentæ, & insepulto dici non possunt diebus quibus fit de Officio duplici etiam minori, vel aliis à rubricâ exceptis, & quæcumque consuetudo in contrarium abusus esse declaratur; Missa tamen unica sollemnis insepulto corpore celebrari poterit etiam in Dominicis & Festis diebus, non tamen sollemnioribus primæ Classis. — *29 Januarii 1752.*